



## §. II.

## Quid.

123. Hæc circumstantia Inuit quantitatem, & numerum peccatorum, licet indistincte reperiantur in eodem actu. Unde si eodem actu quis furetur a pluribus materiam gravem, lædendo graviter singulos, vel hoc eodem actu desideravit, concupivit plures feminas; vel infamat totam familiam, vel occidit decem homines; aut proposuit non jejunare tota quadragesima; vel Sacerdos non recitare pluribus diebus; vel scandalizat quis plures; licet hæc, & alia hujusmodi fiant eodem actu, debent in confessione explicari. Imo in peccatis scandalii, & jactantia exprimenda est etiam species peccati, nam minime sufficit dicere solum scandalum, & jactantiam; jactans enim se de peccato (nisi sit præcise de arte, modo, aut dexteritate) approbat illud, simulque scandalum audientibus causat. Idem est de consulente quolibet opus illicitum.

124. Si quis in eadem rixa alium pluribus contumeliis ejusdem rationis afficit, unum moraliter peccatum committit. Idem est de pluries alium eodem actu percutiente, vel detrahente. At si contumeliæ, aut detractiones sint diversi generis, ut esse mendacem, furem, Judæum, inspicere debent circumstantiæ, quia inter plebejos non sumuntur ut injuriæ graves, at inter nobiles graviter lædunt, ideo exprimendæ sunt, utpote gravem læsionem inferentes, præcipue dum redundant in totius familie infamiam. Eodem modo detrahens de una communitate, aut familia, explicare debet numerum personarum; unaquæque enim habet jus ad suam famam, in qua læditur per detractionem totius communitatis. Quod dicitur de actibus externis, intelligas de internis desideris, aut complacentiis in quacumque materia.

125. Similiter debet exprimi odium erga parentes, avos, & fratres, ac vice versa, quia his debetur peculiaris pietas, & reverentia. Idem est a fortiori de contumelia, quacumque læsione externa, quæ respectu parentum, ascendentium, fratrum, & conjugum inter se addit malitiam specie diversam. Pariter in peccatis

carnis cum cognatis debet exprimi incestus, & peculiariter consanguinitas, affinitas, cognatio legalis, ac spiritualis. Item primus gradus lineæ rectæ, aut transversalis, ut peccatum filii cum matre, aut noverca, vel filie cum patre, aut vitrico, vel fratris cum sorore, quia saltem in his adest distincta species. Incestus quippe est species luxuriæ, non infima, ut quidam putant, sed subalterna, ad modum speciei luxuriæ contra naturam, quæ est subalterna ad pollutionem, sodomiam, & bestialitatem, quæ etiam distincte detegi debent in confessione.

126. Porro circa sodomiam explicari debet, an fuerit agens, vel patiens, & an cum femina, vel cum mare. Primi ratio est, quia in agente supponitur pollutio. Secundi autem, quia variat speciem. Nota, quod in coitu sodomitico debent explicari, si fiat inter cognatos, gradus incestus supra memorati. Similiter variat speciem congressus cum demone, sive incubo, sive subcubo, quia superstitione est permixtus. Pariter explicari debet copula catholici cum infideli, Judæa, aut hæretica. Ita *Salm. ubi sup. n. 139.* Nam prima addit speciem sacrilegii contra reverentiam religionis Christianæ, & secunda ad eandem speciem reducitur. Qui, relicta fide catholica, ad alias sectas transit, debet exprimere, num Judaismum, paganismum, vel hæresim; differunt quippe specie. In peccato bestialitatis de materiali est diversitas bestiarum; ideo opus non est explicare si fuit cum ove, aut capra.

127. Blasphemia contra Deum, beatissimam Virginem, & sanctos debent distincte explicari; sicut etiam, si unico actu quis blasphemat contra duodecim Apostolos; item si contineant heresim, vel procedant ex odio, aut cum contumelia, seu convitio peculiari, tribuendo eis res turpes, vel quid simile, aut imprecando eis destructionem, vel aliud malum. Qui violat votum confirmatum cum juramento, debet utrumque exprimere; adest enim aliud peccatum specie diversum contra religionem. Pater, seu Prælati omittens correctionem filiorum, aut subditorum debet explicare qualitatem omissionis; quæ ad correctionem proximi tenetur ex caritate; ad subditorum vero ex justitia. Confessarius in peccato absolvens continuo plu-

plures, tot peccata confiteri debet, quot personas absolvit. Administrans pariter in lethali Eucharistiam, fateri debet saltem vices, seu occasiones, quibus sic illam ministravit. Hæc, & alia, eorumque ratio patent ex suis locis. Sufficiat hic innuisse, ut de cæteris judicium efformetur: alias tota theologia hoc loco transcribenda foret.

## §. III.

## Ubi, quibus auxiliis, cur.

128. Ubi designat locum, in quo peccatum committitur: qui duplex esse potest, alius publicus, qui addit culpæ circumstantiam scandali, de quo jam dictum est. Alius sacer, qui addit peccato circumstantiam sacrilegii, de quo similiter actum est sufficienter, tract. 10. a. num. 167.

129. Quibus auxiliis innuit instrumenta, seu media, quibus aliquis utitur ad peccandum. Varietas materialis instrumentorum, ut ensis, aut pugionis, seu sclopeti ad occidendum non addit circumstantiam in confessione aperiendam, nisi alias instrumentum esset prohibitum, ut quidam sclopeti, aut gladii parvi; tunc enim adest speciale peccatum necessario detegendum. Sicut etiam, quando instrumenta, vel media opponuntur aliis virtutibus; ut si quis uteretur rebus sacris, pacto demonis, arte magica, aut similibus, de quibus nemo ambigit manifestari debere in confessione.

130. Incitatio ad peccatum, quidquid alii sentiant, exprimi debet; quia in eodem actu adest duplex peccatum: administrans, unum illius speciei ad quam incitatur, aliud scandali. Unde qui incitat feminam ad copulam, debet exprimere incitationem; quod verum est, quamvis femina sit meretrix; quia licet illa ad peccandum sit parata habitualiter; commissit tamen actualiter illud peccatum, ad quod incitatur, & cujus reus est incitator. Qui ad idem peccatum perpetrandum utitur mediatrixibus, debet fateri earum numerum: nam qui ad rem habendam cum una utitur duplici mediatrice saltem septem peccata commisit. Cum unaquaque mediatrice duplex scandali, & luxuriæ, & triplex cum complice, nimirum scandali, incitationis, et fornicationis. Quamvis inductio ad pec-

cata venerea debeat distincte explicari a feminis: in viris tamen non requiritur ejus expressio, quia supponitur respectu mulierum. At respectu alterius viri exprimi debet, quia tunc non supponitur.

131. Cur denotat finem extrinsecum, ut si quis furetur ad peccatum: quo in casu debet utrumque peccatum explicari, quia tunc furtum, non solum est malum ut furtum, sed etiam ut medium ad aliud peccatum. Si autem verba turpia, aut tactus ordinentur ut media ad copulam, hæc immediate secuta, sufficit eam fateri. Si vero copula non habeatur, aut differatur, ita ut moraliter discontinuetur a verbis, vel tactibus, hæc debent exprimi habita fuisse cum illo pravo fine. Si quis omisit omissionem; quia cum studium in se non sit malum, non magis peccat omittens sacrum ob illud, quam omittens ex otiositate, quo in casu apud omnes sufficit manifestare dictam omissionem. Si quis peccaret ex voluntate adeo prava, ut peccaret absque alia causa movente, aut impellente, deberet hoc exprimere; quia sic peccare, plus Dæmonis, quam hominis est.

## §. IV.

## Quomodo, quando.

132. Quomodo indicat modum, quo fit peccatum, puta cum tanta intensione; duratione; contemptu, ignorantia; libertate, consuetudine &c. Intensionem opus non est confiteri, nisi ex ea inducatur effectus specie diversus, ut si ex vehementi odio quis occidat alium, ejusque membra discerpit, in quo adest nova species severitatis, aut feritatis, & sic de aliis. Duratio licet non addat malitiam specie diversam, ideoque non detur per se obligatio eam fatendi; tamen quando est diuturna, exprimi debet propter multiplicationem numerum peccatorum, quæ frequenter adest in longa duratione, v. g. odii, aut mortis culpabilis luxuriæ; debent enim omnia explicari meliori modo, quo possint. Contemptus materialis, & generalis non est necessario manifestandus, sicut inobedientia generalis, in omni enim peccato reperitur.

ritur. At contemptus formalis legis, Legislatoris, aut Superioris omnino est manifestandus. Ut diximus *tract. de legib.*

133. In modo coeundi si invertatur absque causa ordo naturalis, adest saltem culpa venialis, & forte mortalis, si praepostere fiat congressus, seclusa necessitate, adhuc inter conjugatos, quia multum dissonat a ratione talis coitus proprius bestiarum; nec fit absque tactibus sodomitici, qui variant speciem, ut docent N. Salmant. schol. *ubi sup. num.* 168. Quoties infertur vis, seu violentia, ad extorquendum consensum feminae ad copulam, sive alterius ad furtum, vel ad aliud quodlibet peccatum, debet modus exprimi, quia datur alia species peccati, ut stupri, vel raptus, rapinae, vel similis.

134. Ignorantiam culpabilem, qua quis peccat, opus non est regulariter promere; quia non variatur peccatum, nec iudicium Confessarii: ejusdem enim rationis est omnis sacri, aut jejunii scienter, vel ignorantia culpabili appositae. Quando ignorantia est in se peccatum distinctum, ut ignorantia mysteriorum fidei, planum est debere confiteri. Similiter si ignorantia esto culpabilis excuset ab incurrenda censura. Et idem est juxta plures, si ignorantia talis sit, ut peccatum, alias grave, transferat in veniale, sed revera in hoc casu opus non est fateri peccatum, nec ejus ignorantiam, & multo minus si fuit invincibilis, ut ex se liquet. Si ignorantia afferat periculum incidendi in peccatum specie distinctum, ut si quis se exponat periculo committendi adulterium, vel sacrilegium ex ignorantia status feminae, abs dubio debet confiteri; ideoque ignorantia affectata ad liberius peccandum manifestari debet, quia plerumque simile periculum affert.

135. Consuetudo peccandi exprimi debet, quia in fieri, seu active, vel etiam consequenter addit novum peccatum, nempe periculi alia committendi, & existendi in peccato, ut patet ex supradictis. Igitur consuetudinarius debet fateri consuetudinem; & dum non valet manifestare singula peccata, declarat tempus, voluntatem, & occasiones eorum faciliori modo, quo possit.

136. Quando denotat tempus. Peccare in die festo est circumstantia peccati, sed non tanta juxta plures, ut necessario ex-

primi debeat. Verum si die veneris sancti committatur peccata publica, adest circumstantia irreligiositatis, peculiariter opposita sanctitati diei dicati ad recolendam possessionem Domini; Idem est si immediate post celebrationem, aut sumptionem Eucharistiae quis se polluat, fornicetur, vel alia peccata carnis perpetret, aut si portans in pectore sacramentum Eucharistiae, vino se inebriaret, sacramentum ludibrio exponendo. In his casibus adest circumstantia peccati specie distincti ob gravissimam irreverentiam in tantum sacramentum. Verum dum mora notabilis interfluit inter sumptionem sacramenti, & peccatum, non adest peculiaris illa irreverentia, nec malitia specie diversa, est Sacerdos vel laicus peccat eodem die, quo Eucharistiam suscepit, ut cum communi theologorum docent N. Salmant. schol. *ubi sup.* 175.

137. Concina circumstantiam cujuslibet peccati in die communionis perpetrati, exprimi debere ait in confessione, sed ejus ratio non convincit: Probat enim suam sententiam hac interrogatione: *Quodnam majus iudicium sacrilegum fuisse communionem, quam flagitium patratum illo ipso sanctae communionis die?* Si haec ratio teneret, posset quis inferre: ergo communicatio S. Petri in nocte coenae sacrilega fuit, quia illa ipsa communionis nocte peccavit. Cum vero hoc sit valde absurdum, non concludit interrogatio Concinae. Si ejus iudicium valet, celebratio matutina cujuscumque Sacerdotis, quantumvis devota, in eo, qui ex fragilitate vespere, aut nocte peccat, sacrilega foret iudicanda, quod non est admittendum.

#### PUNCTUM XIV.

*An circumstantia notabiliter aggravantes intra eamdem speciem debeant necessario manifestari in confessione?*

138. Circa hanc difficultatem, quae ex gravibus theologiae moralis est, duplex militat sententia: utraque adeo probabilis, adeoque tum ratione, tum patronis munita, ut intellectus, omnibus attente pensis, jam in unam, jam in alteram propendat. Unde Authores, qui iudicii maturitate polent, licet propriam defendant, alte-

alterius tamen sententiae probabilitatem agnoscunt. Haec methodo vere sapienter procedunt perdocti Salmant. schol. qui ob auctoritatem D. Thom. mox promendam sententiam negativam defendunt *tract. 24. disp. 8. a. n. 81.*

139. Alia satis diversa methodo, & via discurrebat P. Concina, astruens nulla omnino firma ratione fulciri sententiam negativam, esse penitus falsam & improbabilem, neque eam docuisse D. Thom. Imo quia patres Salmant. venerantur Angelicum, ut praefatae sententiae praereceptorum, bis se jactat contra illos descendere in arenam, insultans eis tanquam leoni mortuo. Sed ejus venia nobis adeo certum est Angelicum eam docuisse, & ut ait Natalis Alexander, eam rotunde tenuisse, ut supervacaneum putemus id ostendere. Quod fecimus in prima editione exhibendo gravissimos doctores tam intra, quam extra ejus scholam, qui candide id ipsum fatentur, & inter eos per celebrem Fagnanum. Supposita igitur hac patenti veritate, ne teramus tempus in vanum, ad aperiendam nostram mentem properemus.

#### S. I.

##### *Quaedam notatu digna.*

140. Notandum est 1. circumstantias notabiliter aggravantes debere exprimi ratione censurae, reservationis, modi restituendi, vel alterius capitis, quod necessario innotescere debeat Confessario pro suo munere rite obeundo. In hoc omnes conveniunt, & a fortiori, quod, si ad id interrogetur de illis penitens, debeat veritatem de plano patefacere.

141. Notandum est 2. quod actus exterior non est circumstantia peccati; sed idem peccatum cum interiori; idcirco, esto vera omnino esset sententia negans circumstantias notabiliter aggravantes esse necessario confitendas; actus exterior confiteri deberet, ut complementum peccati, ut constat, tum ex ipsa ratione, tum ex damnatione propositionis oppositum asserentis.

142. Notandum est 3. quod fere omnes, vel saltem plures authores sententiae affirmativae juxta sua principia nequeunt non eam necessario defendere, ne inci dant in

gravissima absurda; in eorum enim principii occidens unico actu centum homines, unum tantum homicidii peccatum committit cum circumstantia aggravante numeri centenarii. Habens rem cum matre, filia, aut sorore, vel id desiderans, committit crimen incestus cum circumstantia aggravante matris, filiae, aut sororis, & sic de aliis. Unde coguntur defendere has, & similes, quas ipsi vocant circumstantias notabiliter aggravantes, fatendas esse in confessione, alias confessio non foret integra.

143. Verum apud patres Salmantenses, qui in exemplis adductis, & aliis similibus non agnoscunt circumstantias notabiliter aggravantes, sed mutantes speciem, aut plura peccata moraliter distincta, ut in exemplo occisionis, esto negent obligationem illas fatendi, non sequuntur eadem absurda, quia supponunt circumstantias mutantes speciem, & omnia peccata, etiam moraliter distincta, necessario esse exprimenda.

144. Unde perperam Concina infert contra authores sententiae negativae, quod juxta illos occidens uno actu decem homines, possit dicere in confessione: *semel homicidavi.* Qui unico actu concepivit adulterari cum centum uxoris: *semel animum habui adulterandi, fornicandi.* Qui coivit cum matre, filia, aut sorore: *commisi incestum.* Haec commenta sunt, quae numquam patribus Salmanticensibus in mentem venerunt; ipsi quiippe optime norunt oppositum esse tenendum, prout clarissime patet in utroque cursu scholastico & morali. Nec id latebat Concina, si debita distinctione, & claritate scribere voluisset. Sciebat enim optime, patres perdoctos constanter docere, quod occidens unico actu decem, committit decem peccata moraliter distincta, necessario plane in confessione aperienda: non ergo sequitur posse dicere in confessione *semel homicidavi.* Atque idem est de aliis homicidiis, ut patet ex duplici num. praeced.

145. Notandum est 4. quod licet utraque sententia in communi, seu in modo loquendi, aut significandi plurimum differat; cum una neget, quod altera in communi affirmat; in re tamen significata multum convenit: nam quoties circumstantiae variant moraliter iudicium Confessarii, utrius-

utriusque sententiae patroni conveniunt esse aperiendas in confessione; vel quia mutant iudicium, ut quidam ajunt; vel quia variant speciem, ut alii affirmant. Unde in ordine ad confessionem minus discrepant, quam circa questionem; pro cuius clariori notitia haec praelibare congruum duximus.

## §. II.

*Propria mens aperitur.*

146. Dicendum est circumstantias notabiliter aggravantes, quae a poenitente agnoscuntur, & commode valent manifestari, exprimendas esse in confessione. Haec assertio probatur a plerisque ex concilio Tridentino, sed revera concilium non se immiscuit in definiendis questionibus, quae hinc inde a catholicis theologis disputabantur, sed ejus scopus unice fuit declarare dogmata, ad fidem veram stabilendam contra haereticos. Omissa igitur hujusmodi probatione.

147. Probatur 1. ex Catechismo romano ejusdem concilii interprete *par. 2. c. 5. §. 47.* ubi docet debere manifestari in confessione circumstantias notabiliter aggravantes; ponitque exemplum in furto, de cuius quantitate, si magnopere augeatur, praescribit, quod sit exprimenda a poenitente; ergo ita fieri debet.

148. Probatur 2. ratione: poenitens ita debet peccata sua declarare in confessione, ut non relinquat pendulum iudicium Confessarii circa aliquid grave; sed non declarando circumstantias notabiliter aggravantes, puta quantitatem furti gravis, reliquit pendulum iudicium Confessarii circa aliquid grave: ergo debet illam declarare. Patet minor: quia Confessarius audiens a poenitente se commississe furtum grave, dubitat de quantitate, & pendulus manet, an pervenerit ad valorem viginti, quinquaginta, centum, aut mille aureorum. Ex quo necessario sequitur nec posse integre judicare de tali peccato nec applicare illi proportionatam poenitentiam, quod est contra rectitudinem iudicis, ac rectissimi, & sanctissimi tribunalis confessionis, ut ex se liquet; ergo ipsa rectitudo iudicii sacramentalis exigit patefieri circumstantias notabiliter aggravantes, quae ut ta-

les a poenitente agnoscuntur.

149. Dicere autem, quod sufficit Confessario agnoscere gravitatem specificam peccati, & juxta illam imponere poenitentiam; ad summum deservire valet pro quadam distinctione methaphysica, & speculativa in scholis non semel usitata; minime vero pro doctrina sana in serio tribunali confessionis sequenda; compertum est enim circumstantias in intra eandem speciem superare saepe in malitia circumstantias speciem mutantis. Non ergo sufficit ad rectitudinem iudicii sacramentalis imponere poenitentiam juxta gravitatem specificam; poenitentia quippe sufficiens pro furto sex regalium, non sufficit pro furto mille aureorum.

150. Obijcies 1. D. Thomas in 4. dist. 16. q. 3. a. 2. q. 5. oppositum docet his verbis: *alii dicunt, quod non sint de necessitate confitendae, nisi circumstantiae, quae ad aliud genus peccati trahunt, & hoc probabilius est.* Ergo non sunt confitendae. R. Quod tempore D. Thomae sententia negativa probabilior erat, & ideo S. Doctor ibi, & alibi palam illam tenuit, ita ut aliud dicere alienum prorsus a veritate appareat. Unde doctissimus Cano in *relect. Penitentiae, part. 6. §. Sed enim*, de hac sententia loquens ait: *D. Thomas (ut mea fert opinio) sententiam retractasset, si tertiae parti extremam manum imposuisset.* Agitur cum alias Catechismus romanus, a Pio V. approbatus, doceat sententiam affirmativam, huic jam, ut unice in praxi amplectendae, subscribere debemus, auctoritati dicti catechismi acquiescendo.

151. Obijcies 2. Confiteri circumstantias notabiliter aggravantes est opus valde grave, pluribusque scrupulis obnoxium, cum saepe illas poenitens non percipiat ergo non est imponenda talis obligatio. R. Nos neutiquam asserere omnes circumstantias notabiliter aggravantes esse exprimendas; hoc enim nec est possibile, nec decet in quadam materia; sed illas tantum quae a poenitente agnoscuntur, & commode valent manifestari: in quo nec adest opus valde grave, nec scrupulis obnoxium. Profecto poenitens, qui agnoscit circumstantiam sui peccati valde aggravare ejus malitiam, & eam celat in confessione, non prodit verum dolorem, nec seriam detestationem de sua culpa; confessio enim debet

bet esse accusatio seria, dolorosa, veracunda, sincera, & clara de culpa perpetrata.

152. Inq. An circumstantiae notabiliter minuentes intra eandem speciem sint necessario confitendae? R. negative, nisi peccatum adeo miuant, ut illud de gravi alias transferant in veniale, ut si quis dicat, vel faciat aliquid ex se grave ex semiplena advertentia. Tunc enim deciperetur Confessarius in re gravi, essetque mendatum sacrilege pernitiosum contra ipsum poenitentem. Si autem poenitens certo sciens tale peccatum ex defectu deliberationis, vel ex alia causa solum esse veniale, nollet illud confiteri, nec teneretur explicare circumstantiam diminuente venialia quippe confiteri perfectionis, non necessitatis est. Secluso igitur dicto casu, non esse confitendas circumstantias notabiliter minuentes tenet communis sententia, & novissime Cuniliati *tom. 2. pag. 160.*

153. Pro coronide notet Confessarius, ne sit nimis anxius in inquirendis peccatorum circumstantiis, quae speciem non mutant; neque enim Deus est rigidus exactor, sed benignus pater, qui ad se vero dolore, & sincero corde confugiens piissime recipit. Unde sufficit, quod explicentur in confessione illae circumstantiae, quae facile cognosci, & confiteri valent. Praecipuae in circumstantiis libidinosae caute se gerat, praesertim cum juvenibus, & puellis, quia satius est confessionem non adeo integre fieri, quam se aliquo periculo exponere, aut poenitentes docere, quod fortasse ignorare deberent.

## PUNCTUM XV.

*De obligatione iterandi confessionem.*

154. Inq. 1. Quando teneatur poenitens confessionem repetere? R. Esse iterandam confessionem, quoties ex quocumque capite fuisse nullam cognoscatur. Ex duplici autem capite, unde alia prosiliunt, potest confessio evadere nulla: videlicet vel ex parte poenitentis, vel ex parte ministri. Ex parte poenitentis est nulla confessio. 1. Si desit dolor sufficiens. 2. Si tacet scienter, aut cum dubio aliquid grave, vel si advertenter illud sibi imponit. 3. Si ac-

Tom. II.

cedat ad confessionem ex fine antecedenti, etiam venialiter malo. Si malus finis sit consequens, aut concomitans non irritat confessionem. 4. Si mentitur in re gravi, aut levi totalis materiae. 5. Ex defectu culpabili examinis, si a Confessario non suppleatur, & non doleat de illo ante absolutionem. 6. Si firmum propositum emendationis, deserendi occasione, restituendi debita, caeteraque a Confessario injuncta exequendi non habeat. 7. Si inter confitendum aliquid lethale commiserit, quia de eo se accuset, & doleat. 8. Si aliqua censura innodatus, scienter accedat ad confessionem faciendam cum Confessario carente absolventi facultate. 9. Si ex professio quasierit Confessarium ignorantem, aut minus idoneum, potens habere idoneum, aut expeditum.

Ex parte ministri evadit nulla confessio, vel ex defectu ordinis, vel ex carentia jurisdictionis, sive absolute, sive respectively ad poenitentem, vel quia non audivit confessionem, sive somno, sive alio incidenti impeditus, vel quia ex inadvertentia, aut malitia non absolvit. Praeter haec addit Concina alia duo capita nempe: *ignorantia ministri, & si esset excommunicatus notorius.* Sed hic casus comprehenditur in carentia jurisdictionis. Ignorantia autem ejus, si consulto quaeratur a poenitente, pertinet ad defectum ex parte poenitentis. Si vero bona fide poenitens fateatur omnia peccata Confessario ignorantem, non video, cur confessio, & absolutio sit invalida. Nisi forte ex defectu jurisdictionis ad reservata. Sed tunc etiam includitur casus in defectu jurisdictionis.

155. Omnes illae confessiones, quas poenitentes faciunt ignorantia mysteriorum fidei, consuetudine, & occasione peccandi proxima, mora culpabiliter restituendi, aut debita solvendi, in odio proximi, aut in animo se de eo vindicandi, aut in aliis flagitiis, sive per omissionem, sive per commissionem; vel exercendo usuram, aut alias artes illicitas, iterandae sunt, quia omnibus deficit dolor ad confessionem requisitus. Idem verendum est de confessionibus factis in aetate puerili, in qua plerumque adest capacitas priorum ad peccandum, quam ad serio se dolendum, & aliunde illa tenera aetas praeter alia est exposita ad tacendum aliqua ex timore, aut verecundia.

dia. Nota, quod confessio generalis quibusdam est necessaria, ut illis, qui malas confessiones in antea vita fecerunt: aliis est utilis ad maiorem securitatem suae conscientiae, vel quando statum mutant: alijs autem nociva, ut scrupulosis.

156. Inq. 2. An qui aliquando tacuit scienter per biennium, aut triennium peccata gravia, & postea de eis prorsus oblitus, sincere confessus est omnia, quae menti occurrerunt, de omnibus vere dolens, ac sic processit multo tempore, bona fide confitendo, debeat omnes confessiones a prima sacrilega usque ad ultimam repetere? R. Quod solum tenetur repetere illas sacrilegas, quas mala fide fecit per biennium, aut triennium; non vero alias postea bona fide factas: quia supposito, quod in prima bona fide facta exposuisset etiam malas, si earum meminisset, adfuit oblitio totalis, & naturalis illorum peccatorum, & confessionum. Unde solum tenetur ea sincere manifestare tamquam peccata inviabiliter oblita. Valde autem laudabile esset omnia prout acciderunt, & nuuc sunt in conscientia per confessionem generalem devote, ac distincte patefacere; non pro obligationis urgentia, sed pro majori solatio, & securitate conscientiae.

157. Inq. 3. An confessiones valida, & informes sint iterandae? R. neg. Quia supposito, quod sint valida, non est cur repeti debeant. Verum si defuit dolor universalis, & efficax, aut prudens examen, ita ut confessio sit infructuosa, & poenitens postea non accedat ad eundem Confessarium, repeti debet, quia nulla, seu invalida fuit. *Dices*; hoc est contra pacem animarum. R. Esse contra malam pacem, quae non est fovenda, sed potius eliminanda. Est ne pax vera in errore fundata? Si poenitens non agnoscit nullitatem confessionis, ut, experientia teste, communiter accidit, sua fruatur pace: per alia enim sacramenta rite suscepta remittuntur omnia peccata. Si vero agnoscat defectum confessionis, quod raro contingit, repetat eam absque ulla perturbatione, ut dictum est supra num. 88.

158. Tertia conditio confessionis ex quatuor supra recensitis est, quod sit *labrymabilis*, hoc est, dolorosa, de quo sufficienter jam dictum est. Nunc addi convenit, quod cum confessio debeat esse do-

lore, ac pudore affecta, & non narratio historica; ideo ab ea repellenda sunt omnia, quae ad illam non attinent, ita ut, si quandoque poenitens pro suo solatio aliqua referre velit, solum dum alibi non possit, ea Confessarius audiat. Curet tamen semper brevitati consulere, praesertim cum foeminis: confessio enim debet esse clara, brevis, & compendiosa. *Quarta* conditio est, quod sit *obediens*, id est *obedire parata*; ita ut poenitens sit dispositus ad exequenda, quae a Confessario ei injunguntur, & praecipue poenitentiam, seu satisfactionem sacramentalem, & congruentes medicinas.

## PUNCTUM XVI.

## De satisfactione sacramentali.

159. Inq. 1. Quid sit satisfactio sacramentalis? R. Potest considerari *in re*, vel *in voto*. Satisfactio sacramentalis *in voto* est *recompensatio sacramentalis Deo facta propter peccata confessio*. In re est *recompensatio sacramentalis Deo facta propter peccata confessio*. Differunt haec satisfactiones in eo, quod prima est pars essentialis sacramenti, saltem *exactive*; secunda vero solum est pars ejus integralis, sicut brachium, aut manus sunt partes integrales hominis. Dicitur de prima esse partem essentialem, saltem *exactive*, quia sacramentum dicit ex se ordinem ad illam, sicut totum ad suam partem, esto aliquando ea careat, ut in moribundo repente sensibus destituito. Differt haec satisfactio a satisfactione Justitiae commutativae in eo, quod ista est *ad aequalitatem rei ad rem*; satisfactio vero sacramentalis nequit reddere aequale, ideo est quaedam Justitia potentialis. Differt etiam, quia haec est supernaturalis, vel elevatur ad lineam supernaturalem, & causat virtute clavium remissionem poenae temporalis, quod alteri minime competit.

160. Inq. 2. Quotuplex sit satisfactio sacramentalis? R. Est septiformis. *Satisfactoria*, *medicinalis*, *realis*, *personalis*, *mixta ex reali, & personali*, *formata*, & *informis*. *Satisfactoria* est, quae fit ad satisfaciendum pro culpis praeteritis, quae etiam dicitur, & est *vindictiva*. *Medicinalis*, quae per se primo dirigitur ad pra-

caevenda futura crimina. Differt haec ab illa in eo etiam, quod mittens primam, ut in plurimum duo tantum peccata committit, ut si imponatur pro poenitentia visitatio quinque altarum, aut recitatio unius rosarii, & omittatur. Violans autem poenitentiam medicinalem, ut ne seorsim cum amasia loquatur, triplex peccatum committit; unum contra religionem, aliud contra obedientiam, & tertium contra castitatem, ob periculum, cui exponitur. *Realis* est, quae imponitur in pecunia, vel alia re, pretio aestimabili. *Personalis* est, quae afficit ipsam personam, & nequit adimpleri per alium, sicut praecedens, ut jejunium, oratio, flagellatio, vel quaelibet alia poenalitas. *Mixta* est, quae utrumque complectitur, ut si imponitur simul jejunium, & eleemosyna. *Formata* est, quae adimpletur in statu gratiae. *Informis* denique, quae apponitur in statu peccati mortalis.

161. Inq. 3. In quo differat satisfactio, seu poenitentia formata ab informi? R. Differt in eo, quod formata vere satisfacit pro poena temporalis, debita peccatis, jam dimissis quoad culpam, & haec vera satisfactio dicitur *gratia integralis* sacramenti. Poenitentia vero informis privatur hoc effectu, nec est satisfactoria, quia absque gratia nec meritum, nec satisfactio dari potest. Unde nulla opera quantumvis ex se bona sunt meritoria, nec satisfactoria existenti in lethali. Si autem quaeras an poenitentia executi in peccato, postea adveniente gratia reviviscat, aut producat suum effectum? R. Probabiliter negative; quia, si juxta D. Thomam sacramenta non imprimuntur characterem, illud non causant recedente fictione, idem a fortiori est sentiendum de parte integrali sacramenti, characterem non imprimentis. Tract. 22. n. 60. & 61. D. Th. 4. sent. d. 15. qu. 1. a. 3. q. 3. ad. 3.

162. Triplex genus operum potest imponi pro poenitentia: nempe oratio, jejunium, & eleemosyna. Sub oratione intelligitur oratio, sive mere interna, ut meditatio, sive vocalis, ut praeces, litaniae, rosaria &c. Sub jejunio comprehenduntur flagella, cilicia, cameunia, & caetera poenalitates. Sub eleemosyna venit, tum corporalis, tum spiritualis, ut stipendia pro Missis, & suffragiis celebrandis. Caveat autem Confessarius, nec in confessionali

stipendia Missarum, aut quid simile poenitenti injunctum, aut injungendum, sibi deponat; nam etiam sponte a poenitente oblatum respicere plurimum decet.

163. Inq. 4. An debeat imponi satisfactio, aut poenitentia pro peccatis confessis? R. affirm. Est de fide contra Novatores definitum in Trid. sess. 14. can. 12. 13. 14., & 15. Nec valet dicere Christum abundanter satisfacisse pro omnibus. R. Enim, quod licet Christus non solum abundanter, sed etiam super abundanter satisfecerit pro nobis quoad *sufficientiam*; tamen quoad *efficaciam* vult sua merita, seu satisfactiones mediis sacramentis, & nostris bonis operibus nobis applicari. Nulla aequitatis ratio permittit, quod, cum debitor possit aliquid solvere, nihil solvar, relinquendo omnia fidejussori solvenda. Quamvis poenitentia etiam post absolutionem injungi possit; tamen regulariter ante eam imponi debet. Sic enim postulat ordo judicialis, qui in confessionis tribunali exercetur.

## PUNCTUM XVII.

## Alia dubia de satisfactione sacramentali.

164. Inq. 1. An sub gravi debeat Confessarius imponere poenitentiam? R. affirm. Quia alias relinquit sacramentum absque sua integritate. Unde solum valet excusari a gravi ob inadvertentiam. Quod intelligitur, sive confessio sit de mortalibus primo confessis, quo in casu omnes conveniunt, sive de mortalibus antea confessis, sive de venialibus, quia ratio integrandi sacramentum eadem est pro omni confessione. Sua tamen probabilitate non caret opinio, negans esse grave omittere impositionem poenitentiae levis: idem sentiunt aliqui de omissione adimplentionis poenitentiae levis in poenitente. Sed consequenter ad nostram doctrinam tenendum est, quod poenitens, omittens voluntarie adimplere poenitentiam totalem, esto levem, peccat lethaliter ob eandem rationem relinquendi sacramentum sine sua integritate. Verum omittere partem poenitentiae levem, injunctam sive pro lethalibus, sive pro venialibus, non est culpa gravis, ut omnes fateantur. Igitur omissio totalis cujuscumque poenitentiae

est gravis: omiſſio vero partialis ſeu partis levis eſt venialis. Nota tamen, quod licet Confessariorum pœnitentiam non imponat, aut pœnitens eam non adimpleat, ſubſiſtit ſacramentum eſſentialiter, eſto ei quidquam deſiciat ad debitam integritatem.

165. Inq. 2. An Confessarius poſſit imponere pœnitentiam juxta ſuum arbitrium? R. Poſſe juxta ſuum arbitrium prudens, & discretum. Verum attendere debet gravitatem, aut levitatem culparum, indolem, vires, & facultates pœnitentis: Ita ut pro gravi culpa gravis pœnitentia, & pro levi levis regulariter imponatur. Moribundis aliquid leve, pro tunc recitandum, ſi poſſint, ſimul cum doloribus infirmitatis, & etiam aliud onus grave, ſi culpæ mereantur, & convaſcant, ipsis adimplendum imponi debet. Divitiis eleemoſynæ, jejunia, & orationes injungi poſſunt, & debent. At pauperibus non eleemoſynæ, ſed illud, quod juxta qualitatem perſone, & culparum prudentia ſuggerat. Sacramentorum frequentia eſt opus ex ſe valde ſatisfactorium ſimul, & medicinale; discretioni autem Confessarii deſertur, quando, vel quibus proficiet ejus applicatio. Quamvis regulariter opera ſupererogationis injungi debeant, poſſunt tamen imponi ſimul opera, etiam alias præcepta. Perlegat Confessarius antiquos canones pœnitentiales, non, ut juxta eorum præſcriptum pœnitentias imponat, ſed ut ſciat pœnitentes inſtruere, qua ſeveritate olim crimina puniebantur, ut ſic majorem dolorem de propriis concipiant, & libentius pœnitentias leviores ſibi injunctas adimpleant. Præ oculis habeat etiam, ut pœnitentia non ſolum puniat crimina præterita, ſed etiam futura præcaveat. Nam utrumque attendi debet, ut docet concil. trident. ſeſſ. 14. cap. 8.

166. Advertat pariter, ne in eadem confessione plures partes pœnitentiæ, etiam leves conſarciat, ut mihi quondam accidit extra conventum cum quodam Confessario, qui impoſuit unum credo tali Crucifixo, unam ſalutationem imagini B. Virginum, unum pater noster, nescio, cui ſancto, & alia hujusmodi, quorum nunc non recordor, & tunc memoria vix retinere poteram, & licet tacuerim, agnovi ineptiam Confessarii. Igitur ſi pœnitentia levis ſit,

imponatur ſimul, ut unum *Miserere*, vel duplex reſponſorium, vel triplex *Salve Regina*. Si vero gravis fuerit, imponatur ita, ut pœnitens facile ejus recordetur. Caveat ab imponendo pœnitentiam perpetuam, niſi ob homicidium adulti, ob cujus ſuffragium aliquas preces perpetuas imponere debet. Caveat ſimiliter Confessarius, ne imponat pœnitentiam, ex qua ſigillum confessionis periclitetur, ut poſteſt accidere inter conjuges, & reliquos domesticos. Poſteſt injungi pœnitentia publica peccatori publico; matura tamen circumspectione in pœnitentis publicis injungendis procedendum eſt. Si quis alium publice inhonoravit, debet compelli, ut publice ab eo veniam deſecat. Si ſcripto publico diffamavit, ſcripto publico ſe retractet, & ſic de ſimilibus.

167. Inq. 3. An pœnitens teneatur acceptare pœnitentiam congruam, & ſuo tempore eam exequi? R. affirm. Tum quia id poſtulat forum, & tribunal pœnitentiæ, in quo Confessarius eſt Jdex cum poteſtate puniendi, a Christo collata. Tum quia aliter relinquit ſacramentum mutilum absque ſua integritate. Debet autem pœnitentia impleri tempore a Confessario præfixo. Si vero tempus non præfixit, implenda eſt, quantumvis commode poſſit. Nec audiendi ſunt, qui ſentiunt poſſe differri per annum, quia pœnitentia per annum dilata non eſt pars moraliter unita cum ſacramento, quod propterea mutilum maneret in eo caſu. Qui pœnitentiam non adimplet tempore, aut die ſibi a Confessario præſtituto, debet in alio compensare, quia non designatur *ad diem finiendam*, ſed *ad diem non differendam*. Adimplere eam in lethali eſt peccatum veniale ob irreverentiam parti ſacramenti irrogatam. Non tamen tenetur quis eam iterum exequi, quia adimpleta fuit quoad ſubſtantiam. Si pœnitens obliſcatur pœnitentiæ, adire Confessarius debet; ſi hoc facere nequeat, aut nec Confessarius recordetur, ſaltem in communi eadem peccata patefaciat ſimul cum oblivione, ſi forte culpabilis extiterit, ut congruam pœnitentiam accipiat.

168. Inq. 4. An pœnitens poſſit propria autoritate alium ſubſtituere, qui pro eo pœnitentiam impleat? R. neg. conſtat ex propoſ. 15. damp. ab Alexand. VII.

*Pœnitens propria autoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.* Falſitas hujus theſis patet ex eo, quod ſuſcipiens ſacramentum dedit illud integrare, & quia debet pœnitens exequi per ſe præceptum Confessarii, niſi hic expreſſe aliud diſponat, quod vix, aut numquam facere debet; imo de pœnitentiæ medicinali non poteſt; quia per jejunium uaius caro alterius non domatur, & ſic de cæteris. Verum pœnitentiam realem poterit pœnitens cum cauſa per alium exequi, ut dando alteri pecuniam pauperibus diſtribuendam, ſi Confessarius non juſſit, quod ipſe id efficiat. Quamvis ſatisfacere in genere per alium quilibet poſſit; ſatisfactio vero ſacramentalis perſonalis eſt; ideo ſine cauſa pœnitentia etiam realis impleri per alium nequit.

169. Poſteſt pœnitens applicare pœnitentiam, etiam ſacramentalem, in ſuffragium pro animabus purgatorii, quidquid alii dicant; quia licet *ex ſpere operato* ſit omnino propria ſuſcipientis ſacramentum, ſicut ſumptio Eucharistiæ in ratione ſacramenti; tamen *ex opere operantis* non eſt adeo propria, ut pro aliis applicari non poſſit. Quod ut magis pium mihi ſemper arriſit. Vid. Salm. ſchol. ubi ſup. diſput. II. num. 35.

170. Inq. 5. An Confessarius poſſit relinquere pœnitentiam arbitrio pœnitentis, ut eligat, quam maluerit? R. Confessarius ſemper debet imponere, ſaltem aliquam, pœnitentiam ſub præcepto, licet deinde poſſit relinquere arbitrio pœnitentis aliquam partem: quia debet ille integrati ſacramenti præceptivè conſulere: hac autem ſuppoſita, valet conditionate imponere pœnitentiam. Ut ſi dicat: *facias hoc, ſi potes, et ſi non potes, illud, facias* Ita D. Thom. quodl. 3. a. 28.

171. Hinc aliqui Confessarii, impoſita pœnitentia, dicunt, *ſi placet*: & licet ego numquam tale dixerim, non illud reprobo in ſenſu explicato. Monet etiam D. Thom. ibi, quod Sacerdos non oneret pœnitentem gravi pondere ſatisfactionis, ſed ignem doloris extinguat; quod indicet illi, quanta pœnitentia dignus eſſet, tamen ſolum imponat illam, qua impleta, ad majorem aſſueſcat. Addit laudabiliter dici pro pœnitentiæ complemento: *Quidquid boni feceris, ſit tibi in remiſſionem peccatorum.*

Hoc ſpiritu lenitatis, commendato etiam ab Apoſtolo, indutus Confessarius, curet congruas imponere pœnitentias, ita ut maneat ſatisfacta juſtitia, miſericordie dulcore temperata. Cogitet ſæpius, quod *omnibus in rebus eſt pulcherrimus modus.*

172. Inq. 6. An Confessarius poſſit compellere pœnitentem ad pœnitentiam ante abſolutionem implendam? R. Aliquando poſſe, & debere: ut ſi pœnitens fuit negligens in reſtitutione pecunie, honoris, aut famæ, vel pœnitentiam anteriorem non implevit, mittat illum ad reſtituendum, & ſatisfaciendum ante abſolutionem. Cave tamen a doctrina reprobatâ ab Alex. VII. qui inter alias damnavit theſim 16. quæ dicebat: *ordo præmittendi ſatisfactionem abſolutioni inducit, non politica, aut Inſtituto Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex, & præſcriptio, natura id quodammodo dicente.* Et 17. *per illam praxim mox abſolvendi ordo pœnitentiæ eſt inverſus.* Et 18. *conſuetudo moderna quoad administrationem ſacramenti pœnitentiæ, etiam ſi eam plurimorum hominum ſuſtinet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed pro abuſu.*

## PUNCTUM XVIIII.

## De cauſis excuſantibus a pœnitentiæ implenda.

173. Inq. 1. Quæ cauſæ excuſent a pœnitentiæ adimplenti? R. Omnes cauſas reduci ad duas: nempe impotentiam phyſicam, & moralem, quia ad impoſſibile nemo tenetur. Ratione impotentia phyſicæ deobligatur, qui accepta pœnitentia, ſtatim graviter infirmatur, & ingraveſcente infirmitate moritur. Si vero convaſcat, reddit obligatio pœnitentiæ adimplendæ. Ratione impotentia moralis exſatur ille, cui, cum dives eſſet tempore confessionis, injuncta fuit eleemoſyna magna diſtribuenda, at ſubito in extremam, aut gravem neceſſitatem devenit. Idem eſt; ſi filio familias, uxori, aut ſervo injungatur opus, quod impeditur a legitimo Superiore. In his autem, & ſimilibus, ſi pœnitentia eſt diſiſſibilis, adimpleri debet quoad partem poſſibilem. Nam qui totam pœnitentiam non valet exequi, tene-

tenetur ad partem sibi possibilem, ut patet in obligatione restituendi. Quoad non possibilem petat commutationem.

174. Si constat penitentiam esse omnino injustam, non tenetur penitens totam adimplere, quidquid obrudat Concilia contra Salmantenses, & alios graves auctores. Cognovi virum doctum, qui referebat sibi in quadam confessione ordinaria suae juventutis injunctum fuisse jejunium omni sabato per totam vitam. Penitentia hæc indiscreta, & injusta erat, tum in quantitate, tum in duratione. Quis igitur prudens asserat penitentem adstrictum ad similem penitentiam acceptandam, aut implendam? Nullus sanæ mentis. Ergo dum constat penitentiam esse injustam, excusatus est penitens ab ea acceptanda, & implenda. Sed quid, si Confessarius nollit absolvere, quin acceptetur? Tunc valet penitens adire alium idoneum Confessarium, qui justam penitentiam ei, omnia sincere patefacienti, designet. Potest enim penitens cum rationabili causa, etiam inchoata confessione, omissio illo Confessario, alium quærere. Si autem quis versutus, accepta justa penitentia, alium adeat Confessarium, cui sua fateatur peccata, ut mitiorem accipiat, tacendo priorem, graviter peccat, mutilumque reliquit præcedens sacramentum. Verum est etiam, quod licet penitentia acceptata aliquantulum sit excessiva, debet tota adimpleri. Nostra quippe resolutio intelligitur de penitentia notabiliter, & certo injusta.

175. Inq. 2. An Confessarius inferior possit commutare penitentiam a Superiore injunctam? R. Quod si penitentia injuncta fuit pro peccatis non reservatis, valet, auditis eisdem peccatis; quia excipiendo reservata, eadem facultate gaudet Confessarius inferior, ac superior. Si autem imposita fuit penitentia pro peccatis reservatis, non valet, quia sicut solus Superior potest ea absolvere, ita solus Superior est iudex legitimus imponendi, & commutandi penitentiam pro eis debitam. Commutatio penitentiae nequit fieri extra confessionem; quia est actus judicialis, & Confessarius non est iudex nisi intra confessionem. Aliquando tamen poterit Confessarius proprio penitenti commutare, augere, minuere, aut etiam injungere, si

antea oblitus fuit, penitentiam immediatè post absolutionem, quia moraliter adhuc durat idem iudicium. Ob eandem rationem, nempe quia commutatio est actus judicialis, nequit Confessarius commutare penitentiam ab alio impositam, nisi auditis eisdem peccatis, & cognita causa; imprudenter enim ageret, si ignorata causa, ob quam penitentia fuit injuncta, aliam subrogaret. Confessarius commutans penitentiam, nisi sit in eadem confessione, debet aliquid ejus relinquere ad integrandum prius sacramentum, vel intendere utrumque integrare per novam adjunctam.

176. Quatuor sunt causae ad commutandam penitentiam. 1. Utilitas major spiritualis penitentis, quo in casu valet Confessarius eam commutare, licet non postuletur. 2. Gravis difficultas priorum exequendi. 3. Periculum transgressionis, vel omissionis. 4. Excessus evidens penitentiae injunctae. Penitens nequit sibi penitentiam commutare etiam in melius, quia non est iudex, & commutatio penitentiae est actus jurisdictionis, & penitentia est pars sacramenti elevata ad causandum suum effectum *ex opere operato*, quæ non reperiuntur in voto, neque in alio opere quantumvis meliori sponte a penitente suscepto. Quodlibet opus a penitente voluntarie exceptum, & executum, solum est satisfactorium *ex opere operantis*; at penitentia sacramentalis est satisfactoria etiam *ex opere operato* virtute clavium. Plures ajunt, quod penitens, acceptata commutatione penitentiae, valet, si velit, ad priorem reddere; quia commutatur sub hac conditione. Quo supposito, non video, cur reditus ad priorem improbetur, dimmodo aliquid utriusque penitentiae impleatur pro utriusque sacramenti integritate. In omni eventu Confessarius faciat commutationem sub illa conditione, ut sic omni dubio aditus præcludatur.

177. Inq. 3. An penitens ob indulgentiam, aut jubilæum ab injuncta penitentia impletione excusetur? R. neg. Quia esto indulgentiae, aut jubilæi vere lucrati, remittant poenam temporalem ob peccata debitam; incertum tamen est, quando; quantum, aut qui vere lucrarentur. Ideo debent Confessarii, etiam tempore jubilæi, imponere penitentiam congruam, esto ali-

aliquantulum mitiorem. Tum ob dictam rationem, tum ad integrandum sacramentum. Possunt etiam simul cum aliis injungi in penitentiam opera, pro lucrando jubilæo, seu indulgentia in Bulla assignata. Imo penitentias medicinales debet Confessarius, quoties opus sit, semper imponere, quia indulgentia non tollit pravam consuetudinem, neque occasionem proximam; licet enim per indulgentias, quatenus ad gratiam disponunt eas lucrantes, præcaveantur etiam peccata futura; tamen remedia efficaciora sunt penitentiae medicinales; tum ex virtute clavium, tum ex remotione occasionum. Pro quo nota, quod si penitens frequenter peccat in tali domo, debet Confessarius ei injungere, ne illuc absque gravi causa ingrediatur. Si cum tali persona; ne umquam ex professo solus cum illa loquatur. Si est assuetus perjurare, blasphemare, detrahere, aut se poluere, quod pro qualibet vice se flagellet, aut jejunet, aut tribuat in eleemosynam materiam gravem, aut pro dimidia saltem hora legat, & meditetur de novissimis. Hæc, & similes appellantur penitentiae medicinales. Potest etiam imponi frequentia sacramentorum; & est optima medicina contra languores spirituales.

178. Inq. 4. An penitentiae injunctae a mendicantibus sint suspectae? R. neg. Constat ex propos. 23. damn. ab Alex. VIII. *Parochianus potest suspicari de mendicantibus, qui de eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua penitentia, seu satisfactione ob questum, seu lucrum subsidii temporalis.* Summa temeritatis est hujusmodi suspicio, & calumnia, cujus primus publicus propalator fuit Guillelmus a S. Amore, qui sine amore sancto scripsit contra mendicantes, & præcipue contra duplicem inclytum, ac SS. Ordinem S. Dominici, & S. Francisci. Postea eadem temeritate innovata calumnia, illam merito damnationis telo confixit Alex. VIII.

## PUNCTUM XIX.

## De forma sacramenti penitentiae.

179. Inq. 1. Quæ sit forma sacramenti penitentiae? R. Posita est in his verbis: *ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, amen.*

Ita Trid. sess. 14. c. 3. Unde ad valorem hujus formæ adeo essentialiter requiruntur verba, ut scripto, aut nutibus apposita nihil valeat. *Dices:* in foro judiciali, qualis est penitentia, valet sententia scripto prolata: ergo R. Concedendo de foro externo; negando vero de foro interno penitentiae, cujus formam a suo institutore constitutam esse *præcisè in verbis* constat nobis per concilia, & alia oracula pontificia. Verum licet prædicta verba sint de essentia, non tamen requiruntur essentialiter omnia exprimi; sufficit enim ad valorem, quod aliqua in aliis includantur. Ut *ly ego* includitur in verbo *absolvo*, ideo adjunt plures illius omissionem fore venialem. Pariter *a peccatis tuis* ex ipso actu, & intentione ministri comprehenditur in *ly ego te absolvo*. Peccaret tamen graviter omittens particulam *a peccatis tuis*; exponeret enim nullitatis sacramentum. *Ly in nomine Patris, &c.* cum precibus ante, & post absolutionem consuetis, debent dici sub veniali; ad urgentem necessitate, aut ex rationabili causa omitti valent; absque ulla culpa. Pronomen *te* est necessario exprimentum, alias non fit sacramentum.

180. pro praxi forma absolutionis sic debet conferri: *Miserere tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis, perducatur te in vitam æternam. Amen. Indulgentiam absolutionem, & remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, & misericors Dominus. Amen. Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & ego auctoritate ipsius te absolvo in primis ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis (pro clericis tantum) & interdicii in quantum possum, & tu indiges. Deinde eadem auctoritate ego te absolvo a peccatis tuis in nomine, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Passio Domini nostri Jesu Christi, merita Beate Virginis, & omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, & mali patienter sustineris, sint tibi in remissionem peccatorum, in augmentum gratiae, & præmium vitæ æternæ. Amen.* Urgente vero mortis periculo sufficit dicere: *ego te absolvo a censuris, & peccatis tuis.* Aliqui addunt: *& applico tibi omnes indulgentias, quas applicare possum virtute cujuscumque privilegii, quod laudabile reputamus.*

181. Inq. 2. Quem sensum faciant verba absolutionis? R. Quod, si penitens ac-

cedat in lethali facient hunc sensum: *confero tibi gratiam remissionem peccatorum, quibus ligatus existis.* Si autem iustificatus accedat, faciunt hunc sensum: *confero tibi gratiam, quantum est ex se remissionem peccatorum; at quia iam illam habes, confero tibi novam gratiam, seu ejusdem augmentum.* Dices: Si quis alicui, jam soluto a vinculis corporeis, diceret; *ego te absolvo a vinculis*, falsum proferret, & nihil efficeret: ergo pariter erit de soluto jam a vinculis peccatorum. R. neg, conseq. Quia prima verba non sunt effectiva, aut operatoria, ideo in casu posito sunt falsa; at verba absolutionis sunt operativa, & effectiva gratiae ex se remissionis, quae rite disposito vere conferuntur a ministro, vel augetur, & solvit reatus.

182. Replicabis: Si verba absolutionis non requirunt ad sui veritatem, quod de facto tollatur peccatum, poterit absolvi, qui numquam peccavit, quia etiam illi daretur gratia ex se remissionis; consequens est falsum, alias de solis peccatis existimatis posset quis valide absolvi: ergo R. neg. sequelam: quia peccatum reapse commissum est materia circa quam penitentiae, qua deficiente, nec dari valet sacramentum, nec verba esse vera; nam tunc ly *ego te absolvo* esset propositio affirmativa, quasi de subjecto non supponente, cum diceret absolvo te a peccatis, quae numquam commisisti.

183. Inq. 3. An Sacerdos possit valide uti his verbis: *ego te absolvo*, ad absolvendum simul a censuris, & a peccatis? R. affirm. Quia cum dicta verba determinari optime valeant ad utrumque ex intentione proferentis, ita prolata sortiuntur utrumque effectum, absolvendi nempe a censuris, & a peccatis. Et ita accidit in casu repentino, & urgenti, ita ut prior natura fiat absolutio a censuris absolutione a peccatis. Peccaret tamen graviter sic absolvens, nisi in casu urgentis necessitatis, tum omittingendo a peccatis tuis, tum recedendo a cumuni usu Ecclesiae. De absolutione sub conditione. Vide tract. 22. a. num. 26.

184. Inq. 4. Quando forma absolutionis evadat aulla ex variatione verborum? R. 1. Quod, si variatio sit solum accidentalitatis, valida remanet forma absolutionis. Ut si verba proferantur lingua vernacula,

vel pro ego dicat *Nos*; vel loco *te, vos*, aut *vestram dominationem*. Vel si ponatur passive, ut *absolveris a me*. Vel modo imperativo, ut *tu absolveris a me*. Vel si dicat Sacerdos: *remitto*, vel *condono tibi peccata tua*; in his, & similibus est valida forma absolutionis, quia non adest variatio substantialis. Verum peccaret graviter, qui sic illam proferret, quia in materia gravi recedit a ritu communi. R. 2. Esse nullam formam absolutionis, quoties variatio verborum est substantialis. Ut si dicatur modo optativo: *utinam absolvaris*. Vel deprecativo: *absolvat te Deus*; quia per modum optativum non significatur effectus, sed ejus desiderium, & deprecativus dissonat actui judicario, qualis est absolutio. Hae formae: *placet quod absolvaris*; vel *jubeo, aut volo te absolvi*; vel *absolvaris a peccatis tuis*; vel *remittantur tibi peccata tua*, sunt dubiae. Unde numquam est illis utendum, quia numquam occurrere valet necessitas illis utendi. Ecclesia graeca utitur juxta plures forma deprecativa; qua in latina minime uti valemus.

#### PUNCTUM XX.

##### De absolutione absentis.

185. Inq. 1. An absentis possit absolutio valide impendi? R. neg. Constat ex sequenti propositione damnata a Clemente VIII. *Licere per litteras, seu internuntium Confessario absentis peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere.* Praecipitur insuper sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda, Pontifici reservata, *ne deinceps ista propositio publicis, privatisque lectionibus, conationibus, & congressibus doceatur, neve unquam, tamquam aliquo casu probabilis, defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur.* Postea Paulus V. hanc erroneam doctrinam, denuo novis figuris a suis asseclis depictam, & publicatam, eadem damnationis censura confixit, ita ut quinque saltem decretis pontificis opus fuerit, ad eam ab Ecclesia eliminandam.

186. Objic. Sententia judicialis non indiget reum habere presentem: erg. R. Quod

#### Cap. II. De sacramento penitentiae, ac de ejus materia, & forma. 113

Quod iudex subordinatus nequit valide ferre sententiam, nisi juxta praescriptum Judicis supremi, quod verum tenet in omni foro. Cum igitur Confessarius sit Iudex, subordinatus Christo Domino, ac ejus Vicario in foro penitentiae, nequit valide sententiam ferre, nisi juxta sibi praescriptum, nempe reo praesente, ac nullo modo eo absente, ut patet ex laudata pontificia declaratione. Imo etiam ex ipsa natura Confessionis non aliter debet fieri; confessio enim debet fieri verbis, si possit. Debet item esse verecunda, ad quod praesentia rei plurimum confert. Praeterea, si absolutio potest dari litteris absentis, non semel daretur dormienti, aut in rebus, vel confabulationibus inutilibus, indifferentibus, vel etiam illicitis occupato; quae & alia absurda ex tali positione imminet, contra reverentiam hujus severissimi tribunalis, & sacramenti, nemo non videt.

187. Verum si quis peccata scripta mittat, aut tradat Confessario, ut ea seorsim melius perpendat, & postea in ejus praesentia de eis se accuset, & ibidem absolvatur, non est absolutio absentis, sed praesentis, nec damnata in decreto Clementino. Neque in eo reprobatum, quod Confessarius dubitans, an absolverit poenitentem, cujus confessionem excepit, & per aliquos passus jam distat, possit absolvere sub conditione, si illum adhuc videat, vel sciat prope esse, si nequeat illum absque scandalo vocare; nam adest tunc praesentia moralis, sicut adest in eo, qui clausus in cubiculo, aut domo, petit in necessitate absolutionem, quam valet ei conferre Confessarius, si illum audiat, ob eandem rationem praesentiae moralis, quae sufficit ad sacramenta conficienda, maxime in casu necessitatis. Aliqui extendunt etiam ad casum, quo Confessarius videat domum infirmi, esto eum non videat, nec audiat; sed revera ego poenitentem, quem propter distantiam non possum videre, nec audire, absentem reputo.

188. Inq. 2. An qui in absentia Confessarii petit confessionem, sed antequam perveniat Sacerdos, sensibus destituitur, possit absolvi? R. affirm. Prob. Ex cap. *Majores de Bapt. Si autem infirmus, qui petit unctionem, amisit notitiam, vel lo-*

*quelam, antequam Sacerdos veniret ad eum, ungat eum Sacerdos: quia in tali casu debet etiam baptizari, & a peccatis absolvi.* Idem eisdem verbis docet D. Th. *Opusc. 65. §. De extrema unctione.* Nota, quod in hoc casu, ut possit dari absolutio, sufficiunt testes de auditu auditus primi gradus, hoc est, licet ipsi non essent praesentes tempore, quo infirmus petit confessionem; seu absolutionem, audiverunt a praesentibus; vel ab aliquo, esto solo, sufficit enim unicus testis pro tali casu. Vide Bened. XIV. in syn. 1. 7. cap. 45. num. 3.

189. Dices: In decreto supra memorato reprobatum confessio absentis; sed talis est confessio infirmi, qui in absentia Confessoris petit confessionem, vel dedit signa doloris: ergo. R. Disting. major. reprobatum confessio absentis ex intentione poenitentis, & Confessoris, Conc. major. praeter intentionem utriusque, nego majorem: Et etiam min. vel distincte eodem modo, neg. conseq. Quia toto caelo distat a doctrina reprobatam a Pontifice casus praesens, quem minime comprehendisse in suo decreto testatus fuit ipse Pontifex, prout graves auctores affirmant. Ibi merito proscribitur confessio, aut absolutio absentis facta ex professo; minime vero confessio ob urgentem necessitatem postulata in Confessarii absentia, ut patet ex Jure canonico proxime citato, & ex decreto Urbani VIII. Sic declarante, prout testatur idem Benedict. XIV. loc. laud.

190. Hinc inferitur 1. Posse, & debere absolvi, qui in mortis articulo signa doloris exhibet coram Confessario, esto nihil aliud valeat. Et quidem si signa doloris sunt certa, absolvendus est *absolute*; si autem dubia, vel quia dubitatur, an signa proveniant a dolore infirmitatis, vel peccatorum, vel an ea ordinet ad confessionem, *conditionate*. Inferitur 2. Debere etiam absolvi, qui dixit peccatum in communi, & nihil aliud potuit; quia peccatum in communi est sufficiens materia poenitentiae, quando alia nequit apponi. Nec obstat dicere: in hoc casu poenitens ad summum declarat esse peccatorem, quod de omnibus notum est Confessario. R. enim, quod licet Confessarius agnoscat illum, & ceteros esse peccatores; in casu tamen praesenti agnoscat illum praesentibus



se recognoscere, & velle sua peccata clavis subijcere; ideoque absolvi debet. Idem esset, si tantum aliquod veniale dixisset, quin potuisset amplius declarare; quia etiam peccatum veniale est materia sufficiens. E contra Sacerdos, qui in principio Missæ sensibus destituitur, non potest absolvi præcise ob confessionem generalem publice factam, etiam si ibi casualiter adsit alius Sacerdos, quia illa confessio non ordinatur ad absolutionem. An autem valet alias absolvi, patebit ex statim dicendis.

## PUNCTUM XXI.

## De absolutione moribundi.

191. Inq. 1. An moribundus sensibus destitutus absque ullo teste ejus doloris, aut penitentiae, possit sub conditione absolvi? R. Quod licet stando rigori scholastico, sola sententia negativa appareat vera; tamen cum tot viri perdocti affirmativam pie tueantur, hæc in praxi est amplectenda. Prob. ex laudato Bened. XIV. ubi n. 9. ubi ex Joanne Morino refert factum Clementis VIII. qui fabro murario, & vaticanae Basilicæ fastigio forte decidenti, ita absolutionem impertitus dicitur: *Si capax es, absolvo te a peccatis tuis*. Ad id etiam auctoritatem Gregorii XV. qui dum Ecclesiæ Bononiensi præesset, S. Antonini doctrinæ adhærens docuit: posse etiam absolvi moribundum, assuetum frequentare confessionem, quamvis repentino casu oppressus sacramentum non petierit. Idem Bened. num. 10. in medium producit synodales trium Diocesium, idem faciendum piissime decernentes: ergo potest secure amplecti hæc sententia, ac consequenter debet executioni mandari.

192. Ratio etiam id ipsum suadet: quia in extrema necessitate debemus subvenire proximo, si absque nostro præjudicio spirituali, aut temporalis valemus; sed ita accidit in præsentem, cum præjudicium temporale nullatenus adsit, nec spirituale imminet juxta viros doctrina, & sanctitate conspicuos: ergo debemus subvenire proximo in extrema necessitate constituto, impertiendo illi absolutionem sub conditione.

193. Dices: Illicitum est conferre ab-

solutionem sine materia; sed in casu præsentem nulla adest materia, cum illum non exhibeat moribundus, nec aliquis sit, qui de ea testetur: ergo non licet. Hoc est argumentum herculeum oppositæ sententiæ, & revera non facilis solutionis. R. Tamen, quod non omnino desunt testes: tot enim actus religionis moribundus in vita elicit, quot sacramenta recepit; vel quot pia opera exercuit, tot sunt testes, qui testificantur, vel quod de facto petiit confessionem, esto nullus per accidens viderit, vel quod aliquo modo poscat, actu etiam externo, licet ab adstantibus non percipiatur. Ita accidit cuidam juveni repentino accidenti oppresso; qui, ut retulit ipse medicus ei assistens, licet exterius ab accidenti esset ita ligatus, ut pene mortuus videretur, tamen auditum non amisit, & interius cum plena cognitione dolebat de peccatis, & percipiebat de eisdem absolvi. Idem juvenis ab accidenti liberatus, & in se reversus, sic adstantibus testatus est. Præterea quicumque vivit, aliquem motum externum habet, de quo dubitari valet, ut in casu relato, an fiat desiderio, aut petitione confessionis. Illius. Genetus in præsentem duo dicit parum sibi coherentia. Primum, absolvendum esse moribundum in casu ob rationes a nobis expositas, quas roborare intendit variis testimoniis. Secundum, non posse dari absolutionem sub conditione, nec in eodem casu. Nos vero asserimus solum sub conditione posse in dicto casu dari absolutionem, quia supra materiam dubiam nequit dari forma absoluta. Ideo proferri debet sub conditione, ut præscribunt, præter plures auctores, etiam synodales indicatæ a sapientissimo Pontifice Bened. XIV. ubi supra n. 15.

194. Inq. 2. An in eisdem circumstantiis possit absolvi, qui in actuali peccato sensibus destituitur? R. neg. Quia de talibus non ita pie est præsumendum, sicut de illis, qui regulariter probe vixerunt. Et idem est de illis, qui in ebrietate, duelo, aut domo meretricis lethaliter vulnerantur, aut repentino casu opprimuntur, nisi aliqua signa doloris dent, aut dederint.

195. Inq. 3. Quid dicendum de quadam praxi absolventi nempe moribundum sensibus destitutum, postquam recepit sacramenta penitentiae, Eucharistiæ, & extremæ unctionis, vel a Judice capite mul-

## Cap. II. De sacramento penitentiae, ac de ejus materia, &amp; forma.

etatum, dum jam suspenditur? R. quod, cum olim audissem Sacerdotem, dicentem se decies, aut duodecies absolvisse suum patrem in dictis circumstantiis, reprobavi ejus methodum. Eo amplius, quod tanta repetitio absolventi irrisoria sit, & aliena a severitate hujus sacramenti. Aliud est de infirmo, qui moneret Confessarium, ut quando, amissa loquela, manum ei compresserit, vel dederit tale signum, imperiatur ipsi absolutionem. Eam tamen conferre infirmo absque hac monitione, receptis jam Ecclesiæ sacramentis, approbare non audeo, imo illam absolute reprobato. Vid. V. P. Arbiol in suis monitis mysticis lib. 2. c. 10. & lib. 3. c. 25. ac in ejus additione, in quibus præclare tradit hanc ipsam doctrinam, reprobando abusum absolventi indiscrete infirmos absque prævia conventionem inter Confessarium & penitentem; qui quidem abusus expunctus fuit a quadam questione morali, ut constat ex Expurgatorio an. 1707. ut advertit ipse V. Author locis citatis.

## CAPUT III.

## De ministro penitentiae.

DISCUSSIS sacramenti penitentiae causis intrinsicis, nempe materia, & forma, exploranda est ejus causa extrinseca, quæ est minister legitimus, cujus aliquæ qualitates ad suum munus valide, & licite obeundum in hoc capite perpenduntur. Sed ne claves, quibus utitur minister hujus sacramenti, prorsus ignorentur, breviter ante alia explicantur.

## PUNCTUM I.

## De clavibus Ecclesiæ.

196. Inq. 1. An dentur claves in Ecclesiâ? R. affirm. Constat ex illo Matth. 16. *Tibi dabo claves regni caelorum, & quodcumque ligaveris &c.* & ex aliis locis sacri Evangelii, ubi patet Dominum Apostolis contulisse potestatem dimittendi, & retinendi, ligandi, atque solvendi peccata, idest aperiendi, vel non januas caeli juxta merita, aut demerita singulorum. Notatum, & ejus asseclæ, dicti ab eo Nova-

tiani, negabant potestatem clavium fuisse datam Ecclesiæ circa graviora peccata, ut hæresis, apostasias, aut idololatriæ, & præsertim circa relapsos, quos non posse amplius Ecclesiæ reconciliari contendebant. Sed est error manifestus: quia Christus reliquit Ecclesiæ potestatem, non limitatam, sed absolutam, ut patet ex loco citato Matth. *Quodcumque solveris super terram, erit solutum, & in caelis.*

197. Dices 1. Janua caeli jam est aperta juxta illud Apoc. 4. *Vidi, & ecce in caelo ostium apertum.* 2. Potestas aperiendi, & claudendi solum competit Christo juxta illud ibidem. 3. *Qui habet clavem, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit.* R. ad 1. quod caelum est apertum respectu peccati originalis, quo sensu intelligitur: *ecce qui tollit peccatum mundi, nempe medio baptismo virtute suæ passionis.* Ad 2. posset idem responderi, quod solus Christus aperit caelum, delendo chi-rographum decreti, nempe peccatum primi parentis, & ex ipso ad omnes, excepta admirabili Virgine, transfusum. Sed melius responderetur illa verba intelligi de: *Lymbo patrum, quo jam nullus descendit.* Omitto alia effugia hæreticorum, qui veritati gratis obsistunt. Sacerdotes veteris legis solum habebant claves in figura, non in veritate; non enim habuerunt claves regni caelestis, sed tabernaculi terrestris, ait D. Thom. in suppl. q. 17. a. 1.

198. Inq. 2. Quid sint claves Ecclesiæ? R. *Sunt potestas ligandi, ac solvendi, qua ecclesiasticus Judex dignos recipere, & indignos excludere debet a regno.* *Ly potestas* idem est, ac potentia. *Judex ecclesiasticus* exprimit subiectum, in quo talis potestas recipitur. *Ligandi, ac solvendi* indicat actum aperiendi, aut claudendi januas caeli pro meritis singulorum, & explicatur per *dignos recipere, & indignos excludere*, quod declarat modum agendi erga dignos benigne, & erga indignos severe. Claves autem Ecclesiæ non sunt materiales, sed spirituales: at esto sint metaphorice claves, potestas tamen remittendi, aut retinendi peccata non est metaphorica, sed vera, & realis.

199. Inq. 3. Quot, & quæ sint claves Ecclesiæ? R. Sunt duæ, nempe potestatis, & scientiæ. Non esse unam tantum colligitur ex laudato textu Matth. ubi non di-